PRAEFATIO.

Quod in Prometheo secutus sum consilium, idem in hac Persarum editione, eidem fini destinata, mihi sequendum existimavi. itaque propriae dotis ne hic quidem quidquam accessit, nisi quod vs. 1018 casu meque invito in textum invectum est quod in exemplari eo quod operis excudendum tradideram, in margine notaveram, *μέλαινα δύα μεμίξεται.* quae etsi non prorsus improbabilis videri potest opinatio (in strophico enim versu complures libri habent *βαρεῖα γὰρ ἅδε συμφορά*), pro meo tamen consilio ne commemoranda quidem, nedum in verborum ordinem inferenda erat. eandem ob causam nec Promethei vs. 530 ita scriptum dedissem, ut eum in Annalibus Marburgensibus a. 1845 p. 1063 scribendum esse conieci, nisi eandem emendationem protulisset atque in textu reposuisset Hermannus. sed de his aliisque rebus ad Promethei Persarumque emendationem spectantibus alio loco dicam explicatius.

Restat ut errores quosdam indicem in Prometheum illatos. itaque corrige vs. 154 *ἀγρίως.* 155 *ἐγεγήθει.*